

I V L P A C I I
ARTIS LVLLIANAE
E M E N D A T A E.

Libri IV.

Quibus docetur methodus, per quam magna terminorum generalium, attributorum, propositionum, argumentorumque copia, ad inueniendum sermonem de quacunq; re, amplificandam orationem, inueniendas quæstiones, easdemque dissoluendas, suppetat.

SUPERIORVM PERMISSV.




NEAP. Ex Typographia Secundini Roncalioli, 1631.

Expensis Dominici Vecchi Bibliop. sub signo sanctiss. Nom. Iesu.

- a 3 -

— *Leviathan* (1651) — *Commonwealth* (1650)

1821 MARCH 20 1903 22 1/2



1. *Chlorophytum comosum* (L.) Willd. (syn. *C. topiarius* L.)
2. *Chlorophytum comosum* (L.) Willd. (syn. *C. topiarius* L.)

IVL. PACIVS

Ithierio Hobierio, Christianissimi Regis
Consiliario, & à secretis, triremium
& maris Orientalis Quæstori
Generali S. D.



*I quis in hunc libellum de arte Lulliana inci-
dens, miretur me in legibus euoluendis, & e-
narrandis, usque aptandis sine intermis-
sione occupatum, aliquid de hac arte posse
cogitare, nedum scribere, quæ prælo subiici-
antur: is mirari, ut par est, omnino desinet,
si scias, me hoc tempore vix tumultuariam lectionem huic opu-
sculo adhibuisse: quod ante annos quinque, & quadraginta,
summo otio fruens, audaxque iuuentia, ut ait poeta, mente con-
cepi, annis vero ab hinc paulo plusquam uiginti domesticorum
precibus indulgens, literis mandavi, nunc te hortante, cui nihil
denegare possum, ex mei musei latebris in lucem exire patior.
Quamobrem, si qua ex hoc qualicunque meo labore utilitas
ad lectorem (ut spero) perueniet, eam tibi potius, quam mi-
bi debet iure optimo acceptam ferre. Ego namque, (ut verū
fatear) non maiori honore banc commentationem dignabar,
quam enarrationem Lulliani contextus, animaduersiones in
Rami dialecticam, & alias eiusdem farinæ lusiones, quibus, &
grauioribus studijs defatigatus ita me oblectavi, ut alijs uel iu-
cunda deambulatione, vel inerti alea, vel simili quapiam ra-
tione laborantes ingenij vires reficere solent. Iuris philosophiae
Studia usque ad annum etatis mee trigesimumsexum mihi
erā, cetera πάρερά fuere, ab eo tempore solum ius mihi
fuit negotium, cetera otium. Ergo horis otio dicatis, quo affe-*

*Et tu historicos, poetas, & oratores lego, Lullianæ arti opellam na-
uani : licet enim nobis (ut opinor) ad hæc aliquando diuer-
tere,*

Qui musas colimus seueriores.

*Sed nescio, an idem mihi continget, quod alijs quibusdam
scriptoribus evenit; quorum opera quo minori cura sunt conscri-
pta, eò sunt legentibus gratiiora. Sanè tuum iudicium plurimi
(ut debo.) facio, qui hunc nostrum qualemcunque fœtum
adeo non contemnendum duxisti, ut etiam Gallica veste, ne
Romana toga indatus, nostris hominibus minus gratus esset,
exornare non sis grauatus. Tu namque non ut plerique, aut
à Musis abhorrens regendis rebus te addicis; aut ab omni a-
ctione absens, tibi soli studes: sed summa cum laude utram-
que viuendi rationem coniungis: & cùm' de alijs benemerendo,
tum diuinam animi partem excolendo, quasi binis alis ad ho-
noris, & gloriæ fastigium tendis. Hunc igitur libellum ad te
uenientem, uel potius redeuntem, excipe, quasi alter parens, hi-
lari uult: meque tui studiosissimum tua benevolentia, qua-
nib[us] iucundias mihi potest accidere, prosequi perge. Vale.
*Valentia Cauarum, Idibus Augusti. 1617.**



I V L. P A C I I

ARTIS LVLLIANÆ EMENDATÆ

Liber Primus.

Qui inscribitur de Alphabeto?

P R A E F A T I O.



CRIPS I ante viginti annos subcæsiuis
horis breuem, & perspicuum commenta-
rium in artem paruam Raymundi Lulli,
quem qui exceperunt familiares quidam
mei, perfectam huius artis cognitionem
visi sunt assequi, ac nihil sibi incognitum
superfuisse iudicarunt. Eodem tempore, quò magis eis
prodessem, eandem artem, libertate vtens philosophica,
emendaui, eiusque exornatæ, & à multis vitijs liberatæ,
præcepta in libellum contuli. Quod enim vulgo dici so-
let, nihil simul inuentum, & perfectum, maximè in hac ar-
te, ni fallor, obtinet, fuit enim Lullius magno ingenio præ-
ditus, & , vt illa tempora ferebant, egregie doctus : sed
vel artis obscurandæ gratia, quo maiorem sui admira-
tionem excitaret, vel quia vt elegantiæ, itætiam metho-
di expers omnino fuit, artem suam ita inuoluit, & pertur-
bavit, vt difficillimam multorum iudicio reddiderit. Eos
igitur errores breuiter notaui, ac dedi operam, vt artem,
correctam recta methodo traderem, non vt de Lullij au-
toritate quicquam detraherem, absit enim à meis mori-
bus hæc labes) sed vt verus huius artis usus omnibus pa-
teret, ac facile disci posset. Quod me confequutum om-
nes dicturos confido, qui solius veritatis rationem habé-
tes, hoc opusculum perlegere grauabuntur.

C A P.

C A P . P R I M V M

De arte Lulliana, & eius partibus.



C O P V S huius operis est docere methodum, per quam magna attributorum, propositionum, quæstionum, & argumentationū copia nobis suppetat.

2. Hæc igitur ars perquām similis est dialecticæ, quam Arist. tradit in Topicis, sed non coangustatur ad quatuor illa problematum genera, ad quæ refertur tota Aristotelis dialectica, idest ad problema definitionis, proprij, generis, & accidentis. Præterea non adhibet eosdem locos, nam Aristoteles proponit axioma sumpta à genere, à specie, à coniugatis, & alijs similibus locis; Raymundus verò in hac arte proponit alias locos, videlicet bonitatem, magnitudinem, durationem, & cæteros mox exponendos.

3. Differt etiam hæc ars ab inuentione, seu ratione inueniendi, quam Aristoteles proponit lib. i. Prior. Analytic. quoniam ibi Aristoteles respicit solum ad inuentionem syllogismorum, & omnia refert ad tres locos generales, idest ad antecedentia, consequentia, & repugnancia, qui sunt termini (vt in scholis loquuntur) Secundæ intentionis: hæc autem ars non tantum docet inuentionem syllogismorum, sed etiam aliarum orationum, & encomiorum, & accusationum, & omnino cuiusvis generis attributorum: & adhibet alias locos, nempe bonitatem, magnitudinem, &c. vt paulò ante notaui.

4. Tandem hæc ars differt à Rhetorica, i. Quia rhetorica versatur in tribus causarum generibus, demonstrati-

D E A L P H A B E T O

uo, deliberatiuo; & iudicati: hæc autem ars nulli generi est adstricta: sed æquè pertinet ad quodvis ens. 2. Quia rhetorica nō solùm tradit inuentionem, sed etiam dispo-
sitionem, & elocutionem, & (vt multi volunt) tradit etiam præcepta de memoria, & pronunciatione: hæc au-
tem ars vnum habet scopum, inuentionem: ideoque vo-
eatur ars inuentiva: quamquam ex ea colligi potest etiam dispositio quædam, vt lib. 3. ostendam.

5 Huius artis partes duæ sunt: prior de terminis sim-
plicibus, qnæ vocantur principia: hisque adiunguntur quæstiones generales: posterior de mixtione illorum
principiorum, per quam mixtionem fiunt propositiones,
& syllogismi. Prior pars inscribitur de alphabeto: quia
quodlibet ex illis simplicibus vocabulis, breuitatis causa,
significatur vna litera alphabeti. Posterior pars in-
scribitur de figuris: quoniam mixtiones principiorum in
hac arte figuris, idest diagrammatis quibusdam continē-
tur. Primò igitur declarabo alphabetum, idest princi-
pia, & quæstiones. Secundò exponam figuras, idest mix-
tiones principiorum. Tertiò tradam praxim, & usum
huius artis. Postremò rationem afferam eorum, quæ in
hac arte nouai, vt eam à superfluitate, & obscuritate
vendicarem.



C A P . II.

C A P . I I .

De Alphabeto.

QUO facilius hæc ars percipiatur, delineandum est diagramma, quod terminos huius artis comprehendat, & uno intuitu oculis subijciat.

I	1	2	1	3	I
b	bonitas	I differentia	I vtrum		1
c	magnitudo	I concordātia	I quid		2
d	duratio	I contrarietas	I vnde, & cuius		3
e	potestas	I principium	I quare		4
f	sapientia	I medium	I quantum		5
g	appetitus	I finis	I quale		6
h	virtus	I maioritas	I quando		7
i	veritas	I æqualitas	I vbi		8
K	gloria	I minoritas	I quomodo		9

2 Hoc diagramma constat tribus columnis, quarum columnarum quælibet continet nouem cellulas, & nouē vocabula. Prima columnna continet principia absoluta: altera columnna principia relata: tertia quæstiones.

3 E regione singulium cellularum, & siugulorum vocabulorum in sinistro latere scriptæ sunt uouem literæ B C D, &c. quia in progressu operis loco vocabulorum breuitatis studio sæpè his literis vtemur: quælibet autem litera significat ea vocabula, quæ è regione ipsius scriptæ sunt, vt B, significat bonitatem, differentiam, & quæstio-
nem

nem vtrum: C, magnitudinem indicat, concordantiam, & quæstionem quid. In dextero latere continentur sifre declarantes numerum cellarum, & terminorum, qui in singulis cuiusque columnæ cellulis continentur: quemadmodum sifre supra columnas inscriptæ numerum columnarum demonstrant.

4. Omittitur litera A, quoniam in aliis usum infra Raymundo adhibetur in figura prima.

G A P. I I I . i 2

De prima columnâ Alphabeti.

 Ermini huius columnæ sunt maximæ generales, & (ut cum scholasticis loquar) transcendentes. Exempli gratia magnitudo hic non est species contenta in categoria quantitatis, sed latius accipitur: etenim Deus quoque dicitur magnus, & virtus magna, & essentia magna.

2. In qualibet cellula non solum intelligere oportet id, quod verbo expressum est, sed etiam coniugata, species, & contraria: ut ex sequentibus apparebit.

3. Bonitas est id, rāde cuius res est bona, & Bene agit. Bonitatis coniugata secundum Raymundum sunt bonum, bonificatum, bonificans, bonificabile, bonificantum, & bonificare, seu bonificatio. Bonum est in quo bonitas inest. Bonificatum est, quod habet vim efficiendirem bonam. Bonificans est, quod actu rem bonam facit. Bonificabile est, quod potest bonum fieri. Bonificantum est, quod factum est, vel fit bonum. Bonificare est rem bonam reddere. Bonificatio est actio, per quam res fit bona.

B

Hæc

Hæc coniugata ita inter se referuntur, vt quædam extre-
morum, quædam medij rationem obtineant. Extre-
ma duo sunt: agens & patiens: Agen, si sumatur potesta-
te, dicitur bonificatum: idem actu sumptum vocatur bo-
nificans. Similiter patiens potestate acceptum, appella-
tur bonificabile: & actu sumptum, dicitur bonificatum.
Medium verò consideratur vel per se, vel in relatione
ad extrema. Per se in abstracto nominatur bonitas: in
concreto bonum. In relatione verò dicitur bonificare,
vel bonificatio. Similis est coniugatorum expositio in
principijs sequentibus, id est magnitudine, duratione, &
cæteris.

Species boni sunt, 1. Bonum permanens, vt esse: &
bonū fluens, vt agere, 2. Honestum, vtile, & iucundū.

His omnibus adiungantur contraria: ut bono malum,
honesto turpe, iucundo molestum, vtili damnosum.

4. Hoc loco occurrit dubitatio: quia suprà dictum
fuit hæc primæ columnæ principia esse absoluta: nuper
autem multa in relatione posita recensuimus, vt bonifi-
cans, & bonificatum. Pro solutione notandum est, Ray-
mundo placere, vt columnæ se inuicem iuuent: vnde fit,
vt bonificatum, bonificans, & cætera vocabula referan-
tur ad bonitatem merito concordantiæ, quod est secun-
dum principium secundæ columnæ; item malum, & mali-
tia referantur ad bonitatem merito contrarietatis, quod
est principium tertium secundæ columnæ.

5. Magnitudo est id, ratione cuius res est magna, &
valde agit.

Magnitudinis coniugata sunt, magnum, magnifi-
cans, magnificatum, magnificatum, magnificabile, &
magnificatio, seu magnificare: quorum omnium defini-
tiones ex ijs, quas suprà attuli, facile quiuis supplere pôt.

Species

Species magnitudinis sunt 1. finitas, vel infinitas. 2. longitudo, latitudo, altitudo, & multitudo. Adde horū coniugata: vt finitum, infinitum, longum, latum, altum, multum. Item producens, dilatans, multiplicans: & productum, dilatum, multiplicatum; & eiusmodi alia.

6 Duratio est id, ratione cuius res durat, & permanet.

Durationis coniugata sunt, vt durans, durable.

Species duæ sunt, æternitas, & temporalitas; siue æternum, & temporale. Aeterni species sunt, antiquum, vel longæuum, (quamquam æternum à longæuo Gellius distinguit lib. 2. cap. 16.) & firmum, constans, perseverans. Contraria sunt, vt mutatio, priuatio, inconstantia, dissolutio, oblitio, & similia, cum suis coniugatis, qualia sunt, mutans, mutatum, mutabile, priuans, priuatum.

7 Potestas est id, ratione cuius res potest esse, & agere. Coniugata sunt, vt potens, possibile, posse. Species sunt duæ; omnipotentia, quæ est in solo Deo: & simplex potentia, quam Raymundus vocat magnipotentiā, nempe quæ est in creaturis. Rursus potestatis species sunt, robur, dominium, auctoritas, iurisdictio, imperium, &c. Contraria sunt, vt impotentia, imbecillitas, impossibilitas: & horum coniugata, impotens, imbecillum, impossibile.

8 Sapientia est id, ratione cuius aliquis est sapiens, & sapienter agit. Coniugata sapientiae sunt, vt sapiens, sapere, sapientificans, sapientificatum. Species sunt, vt scientia, intelligentia, prudentia, ars, prophetia, conscientia. Adde horum coniugata: qualia sunt, sciens, intelligens, prudens, artifex, artificiosum, propheta, conscius. Contraria sunt, vt inficitia, imprudentia, error: & horum coniugata, vt ignorans, vel inficum, imprudens, errans.

9 Appetitus, quem Raymundus vocat voluntatem, est id, ratione cuius res est desiderabilis, & desideratur. Coniugata sunt, vt appetens, appetibile, appetitio. Species tres sunt, instinctus, cupiditas, & voluntas. Instinctus est in rebus inanimatis, vt naturali instinctu ignis sum, terra deorsum tendunt. Cupiditas est in sensu, seu facultate animæ sensitiva, & vulgo in scholis appellatur concupiscentia. Voluntas est in facultate intellectiva. Contraria sunt; vt odium, malevolentia, fastidium, odiosum, malevolum, odiisse, abhorrere, & alia multa.

10 Virtus est id, quod rem vnit, & continet. Aliter accipitur virtus in Ethicis, vbi sumitur pro habitu morali; nos autem latissime hoc vocabulum accipimus, vt cuius rei conuenire possit. Coniugata sunt, vt virtuosum, seu virtute praeditum. Porro virtus vel est perfecta, vt in Deo, vel imperfecta, vt in homine. Contraria sunt, vt vitium, & virtosum, quæ vocabula similiter accipi debent in latissima significatione, non coangustari ad mores humanos. Hoc principium differt à quarto, id est à potestate, vt habitus à potentia.

11 Veritas est id, ratione cuius res veræ sunt. Coniugata sunt, vt verum, verax, verificans, verificatum, &c. Veritas dividitur 1. in veritatem rei, intellectus, & sermonis. In re veritas est, vt Deus est ipsa veritas. In intellectu, vt cum intelligimus Deum esse omnipotentem, hominem esse animal. In sermone, vt in hac oratione homo est animal; Similiter falsitas est vel in re, vt Chimæra, hypocentaurus: vel in intellectu, veluti si mente concipiamus hominem esse quadrupedem: vel in sermone, vt in his orationibus, homo est lapis, homo non est animal. 2. In veritatem necessariam, vt Deum esse, cœlum moueri, & contingentem, vt Socratem ambulare, vel sedere.

edere. 3. In simplicem, & coniunctam. Simplex est, quæ in re simplici cernitur: ut equi conceptus in animo nostro erus est; quia equus est: Chimæræ autem conceptus est falsus: quia Chimæra non est. Coniuncta veritas est, quæ in affirmatione, vel negatione spectatur, ut homo est animal, homo non est lapis. Contraria veritati sunt, falsitas, nullum, falsificans, falsificatum, &c.

ix 2. Gloria est summa, & ultima rei perfectio in cuius beatitudine res quiescit, quia non potest aliquid amplius expectare; cuiusmodi gloria tribuetur Sanctis in altero seculo. Coniugata sunt, gloriosum, glorificans, glorificatum, &c. Species sunt duæ, decus, & honor. Decus rei competit, quatenus est talis: honor autem respectu aliorum, qualiter ijs videtur talis, à quibus honoratur. Maiestas est enim decus, ut in Deo, & Rege. Cultus vero est honor quidam eximus; qualis est, qui Deo tribuitur. Contraria sunt, ut dedecus, infamia, ignominia, infame, ignominiosum, &c. Hucusque de prima columna, quæ continet principia absoluta, & quodammodo, ut exposui, quædam relata; nèquæ absolutis illis congruunt, vel repugnant.



C A P . I V .

De secunda columnâ Alphabeti.



INTER primam, & secundam columnam tres sunt differentiæ. 1. In illa sunt termini absoluti, in hac relati. 2. In quolibet principio primæ columnæ tacitè continetur contrarium, ut sub bono malum, sub magno paruum: quod in secunda columnâ non habet locum; quia in hac termini contrarij separatim sunt collocati; ut concordatia, & contrarietas, ut maioritas, & minoritas. 3. Quodlibet principium primæ columnæ est maximè generale, & cuius rei tribuitur: in secunda vero columnâ hæc maxima generalitas non conuenit yni principio, sed tribus simul iunctis. hæc enim columnâ constat tribus ternarijs, quos Raymundus vocat triangulos. Nam quælibet res vel differt, vel concordat, vel est contraria. Rursus vel est in principio, vel in medio, vel in fine. Denique vel est maior, vel æqualis, vel minor.

2. Differentia est per quam res differunt, ac distinguntur. Coniugata sunt, ut differens, differe, &c. Species plures sunt. 1. Vel est differentia essentialis, ut inter hominem, & brutum: vel accidentalis, ut inter Socratem, & Platonem. 2. Vel est seperabilis, ut inter sedentem, & ambulatorem: vel inseparabilis, ut inter hominem & plantam. 3. Vel est inter res sensibiles, ut inter lapidem & plâtam: vel inter res intelligibiles, ut inter Deum, & Angelum: vel inter rem sensibilem, & intelligibilem, ut inter hominem, & Angelum. Notandum est, ea dici differre, quæ non sunt inter

inter se contraria, ne hoc principium cum tertio confundatur. Exempli causa, homo & lapis dicuntur res differentes: album verò, & nigrum dicuntur res contrariæ.

3 Concordantia est, ratione cuius res sunt inter se concordes. Coniugata sunt, vt concors, concordare, concordatum, &c. Diuisio est duplex. 1. res concordant vel in uno, vt affirmatio & negatio in eo, quod utraque est enuntiatio: vel in pluribus, vt aqua, & terra, tam in frigore. quā grauitate conueniunt. 2. Concordantia vel est inter res sensibiles, vt inter aquam, & terram: vel inter res intelligibles, vt inter Deum, & Angelum: vel inter sensibilem, & rem intelligibilem, vt inter hominem, & Angelum.

4 Contrarietas est quorumdam mutua resistentia propter diuersos fines, vt inter grave, & leue: quia hoc tendit sursum, illud verò tendit deorsum. Coniugata sūt, contrarium, contrariari, &c. Adde vocabula æquivalētia, & repugnantiam, repugnans, repugnare. Quod ad diuisiōem attinet, 1. Contrariorum alia sunt immediata, vt in numero par, & impar: alia mediata, vt in corpore album, & nigrum, quibus rubrum, viride, & alij colores sunt interiecti. 2. Contrarietas est vel inter res sensibiles, vt inter album, & nigrum: vel inter res intelligibles, vt inter scienciam, & ignoranriam, inter Angelum, & Cacodoemonem; vel inter rem sensibilem, & rem intelligibilem, vt inter hominem, & Cacodoemonem.

5 Principium est, in quo rei primitiua ratio consistit, vt Deus est omnium rerum principium: & semen, aut cor est principium animalis. Coniugata sunt, vt principians, principiatum, &c. Principium diuiditur in esse entale, & accidentale. Essentialia principia sunt quatuor causæ; efficiens, materia, forma, & finis. Materia est causa, ex qua: Forma est causa, per quam: Efficiens. Et causa, à qua: Finis est

nis est causa, propter quam, seu cuius gratia. Materia etiam vocatur subiectum: & est triplex. 1. Ex quo vt es, vel argentum est materia, & subiectum, ex quo fit statua. 2. In quo: vt substantia est subiectum, in quo in sunt accidentia; & materia est subiectum in, in quo est forma. 3. Cetera quod: vt corpus naturale est subiectum physicæ, circa quod physica versatur. Efficiens diuiditur in principale, & instrumentale, vt cum faber lignarius secat lignum, faber est efficiens principale, serra est instrumentum. Rursus omnino efficiens aut agit propter motum, vt faber efficit arcu, ædificator domum: vel sine motu, vt rei forma efficit proprietates inde fluentes; & sol lucem producit. Accidentalia principia sunt nouem categoriæ accidentium, id est quantitas, qualitas, relatio, situm esse, habere, agere, pati, quando, & ubi. Præter hanc principiorum distinctionem, alia ab Aristotele afferuntur lib. 4. Metaphys. (qui latinis est quintus). cap. 1.

6. Medium est, quod est principio, & fini interiectum, & utriusque naturâ redolet: nā dici potest antecedentium finis, & sequentium principium. Coniugata sunt, medians mediatum, &c. Tres sunt medij species. 1. medium conjunctionis, quod extrema inter se connectit, vt clavis coniungit duos asseres, & medius in syllogismo connectit maius extrellum cum minori. 2. Medium relationis, vt dilectio est medium inter diligentem, & dilectum, & omnino omnis relatio est media inter duo relata. 3. Medium extremitatum, vt liberalitas est medium inter profusionem, & avaritiam; & rubrum aut viride est medium inter albū, & nigrum.

7. Finis est, in quo aliquid terminatur, & quiescit. Coniugata sunt, vt finiens, finitum, &c. Species sunt tres, 1. finis perfectionis: vt beatitudo est finis vitae humanæ. 2. finis ter-

nis terminationis, seu terminus: vt locus ad quem res mouetur, est finis illius motus. 3. Finis priuationis, vt mors est finis vitae.

8. Maioritas est id, ratione cuius res dicitur maior. Coniugata sunt, maius, maiorificatus, maiorificatum, &c.

9. Minoritas est, per quam res dicitur minor. Coniugata sunt, minus, minorificans, minorificatum, &c.

10. Aequalitas est id, ratione cuius res dicitur æqualis: vel equalitas est id, quod maioritati, & minoritati est terieatum, in quo cōcordantia quiescit: nam si quid adatur, vel detrahatur, non remanebit res æqualis, sed fiet maior, vel minor. Coniugata sunt, vt æquale, adæquans, adæquatum, &c.

11. Hæc tria postrema principia, idest maioritas, æqualitas, & minoritas, spectantur vel inter duas substantias, vt substantia cœli est maior, quam aeris, vel ignis, & substantia Socratis ac substantia Platonis sunt æquales: vel inter substantiam, & accidens, vt extensio quantitatis est æqualis suæ substantiæ; sed essentialiter substantia est maior quantitate, & quovis alio accidente: vel inter duo accidentia, veluti, non legere, & negligere, æqualia sunt: legere autem est maius quiddam quam ludere: & intelligere est maius, quam sentire.



CAP. V.

De tertia columna Alphabeti.

AE C columnna varias quæstiones cōtinet. Prima quæstio est vtrūm : quæ quidem est multiplex. 1. Vel est quæstio simplex, veluti an sint antipodes, an sint centauri , an sit Phœnix, an sit chimœra: vel composita, veluti an luna sit maior terra, an omnes Aethiopes sint nigri , vtrūm motus sit in mouente, vel in mobili. 2. Vel est quæstio de esse, vel de fieri, & vtraque est tripartita, pro temporis diuisione: veluti an fuerit bellum Troianum: an mundus factus sit: an Turcæ eandem, quam Persæ, religionem colat: an Turca bellum gerat cum Persis: an pax erit inter Germanos, & Turcas, an sol hoc anno deficiet. 3. Aut quæritur: an sit, vel fiat, secundum diuersa tempora; veluti, an Aethiops sit niger; an India Orientalis veteribus fuerit cognita: aut vtrum sit possibile, an impossibile; veluti an puer decēnis possit callere artem Lullianam: aut vtrum sit necessarium, an contingens: veluti an fuerit necesse , ut filius Dei carnem humanam assumeret .

2. Secunda quæstio est quid : quæ similiter diuiditur multis modis. 1. Aut est simplex quæstio: veluti quid est bonitas? Quid est benè mereri? aut composita, veluti, qd est bonitas magna ? quid est benè mereri de patria? 2. vel quæritur quid vocabulum significet; veluti quid significet eclipsis? defectionem luminis: vel quid res sit, veluti quid est homo & animal rationale; vel quid res habeat , veluti quid habet in se intellectus? species intelligibiles . Quid

habet

habet sensus? species sensibiles: vel quid agat; veluti quid facit anima humana separata à corpore? cōtemplatur. vel quid patiatur, veluti quid patiatur aqua ab igne? calefit, & evaporatur.

3 Tertia quæstio est bipartita. Prior quæstio est de origine; veluti, vnde est peccatum originale? ex peccato primi parentis. Vnde sunt orti Heraclidæ? ab Hercule. Posterior quæstio est de possessione, vel simili ratione; veluti cuius est liber? Socratis. vel cuius est filius? Sophronisci. vel cuius est amicus? Platonis.

4 Quarta quæstio est de causis. quare mundus est? quia Deus eum creavit: hæc est causa efficiens. quare homo ex turri demissus, in terram tendit? quia terreum elementum in eo prædominatur: hæc est causa materialis. quare luna recipit incrementum luminis per partes? quia est globosa: hæc est causa formalis. quare ægrotus sumit pharmacum? ut sanetur: hæc est causa finalis.

5 Quinta quæstio est de quantitate vel continua, veluti quantus est sol? tricesies & amplius maior, quam terra: vel discreta, veluti, quot sunt planetæ? septem.

6 Sexra quæstio est de qualitate vel interna, veluti qualis est Socrates? Doctissimus philosophus; vel externa, veluti qualis est Eethiops? Niger.

8 Septima quæstio est de tempore: veluti, quando fuit creatus mundus? in principio temporis. quando fit eclipsis lunæ? quando luna est in capite Draconis, & sol in cauda, vel è contrario luna in cauda, & sol in capite. quando sunt multæ muscæ? mense Augusto. quando erimus beati? post mortem?

8 Octaua quæstio est de loco: sed locum latissimè accipere oportet, vt fere idem sit esse in loco, quod esse aliquò; veluti, ubi est terra? in centro mundi. Vbi est pars?

in toto. Vbi est accidens? in subiecto. vbi est forma? in materia. vbi est vinum? in dolio. vbi gestum est bellum Troianum? in Asia.

9 Nona & ultima quæstio est quomodo aliquid sit, aut fiat; veluti quomodo patitur intellectus à speciebus intelligibilibus? perfectiùè; quia per eas perficitur: & quod magis intelligibiles sunt, eò magis perficiunt intellectum, ita ut intellectus eò facilius alias res intelligat. Quomodo patitur sensus à speciebus sensibilibus? corruptiùè: quia vehemens obiectum corrumpt sensum, adeo ut impedimento fit, quò minus alias res sentiamus; veluti si quis solem intueatur, mox minus poterit alias res cernere.

LIBER SECUNDVS.

QUI EST DE FIGVRIS.

CAP. PRIMVM.

De Figuris.

1 **V. C. V. S. Q. V. E.** de simplicibus terminis, & de quæstionibus: iam de terminorum mixtione, seu compositione dicendum.

2 Aut duæ literæ coniunguntur, aut tres: non ulterius progredimur, vt quatuor vel quinque literas coniungamus; quia tres termini sufficiunt ad syllogismum conficiendum: & si ulterius progrederemur, id non tam utile, quam molestum & laboriosum esset.

3 Hinc oriuntur duæ figuræ, in quarum priori duæ literæ coagimentantur.

CAP. II.

C A P. I I.

De prima figura.

PRIMA figura, in qua bina elementa iunguntur, multas cellulas continet, vt ex sequenti diagrammate apparebit.

bb								
bc	cc							
bd	cd	dd						
be	ce	de	ee					
bf	cf	df	ef	ff				
bg	cg	dg	eg	fg	gg			
bh	ch	dh	eh	fh	gh	hh		
bi	ci	di	ei	fi	gi	hi	ii	ii
bk	ck	dk	ek	fk	gk	hk	ik	kk

2. Hæc figura constat nouem columnis; quia nouem sunt literæ nostri alphabeti, & quælibet litera habet suam columnam, vt litera B. columnam primam. C. secundam, ita deinceps.

3. In prima columna sunt nouem cellulæ; quia litera coniungitur cum semetipsa, & cum octo sequentibus. Simili ratione in secunda columna sunt octo cellule; quia litera C. cum semetipsa connectitur, & cum septem sequentibus. Sic in tertia columna sunt septem cellulae. In quarta sex; in quinta quinque; in Sexta quatuor. in Septima tres. in octava duæ. in nona, una cellula. Nulla enim.

Ia enim cellula est, in qua litera prior alphabeti subjicitur posteriori, nobis eadem literarum coniunctio ponatur verbi gratia, nulla est cellula C. B. in secunda columnâ, quia esset eadem cum cellula B.C. primæ columnæ.

4. Quælibet cellula permulta attributa, & multæ propositiones continet. 1. quia quælibet litera sumitur vel ex prima, vel ex secunda columnâ alphabeti. Inde et riuntur quatuor modi huius figuræ: nam in quavis cellula vel accipitur utraque litera ex prima alphabeti columnâ, vel prima litera ex prima columnâ, & secunda ex secunda; vel è contrario prima litera ex secunda columnâ, & secunda litera ex prima columnâ; ex tertia verò alphabeti columnâ nihil in præsentia accipimus: quia loquimur de terminorum mixtione: illa autem columnâ non continet terminos, sed quæstiones. 2. Quia quælibet litera, in eadem columnâ alphabeti, significat multos terminos, ut B. significat bonitatem, bonum, bonificans, &c. ut superiori libro expositum fuit. 3. quia in quavis cellula, prima litera vel attribuitur, vel subjicitur secundæ. Exempli causa, in cellula BC continentur hæc attributa, Bonitas magna, bonitas magnitudinis, magnitudo bona, magnitudo bonitatis, differentia concordiæ, concordia differentia concordia differens, bonitas concordiæ, consensus bonorum, magnitudo differentiæ, differentia exigua. Item continentur hæc propositiones: bonitas magnificat, magnitudo est bona; res differentes in quibusdam concordant, concordes interdum dissentient, viri boni consentiunt, concordia est bona, differentia est magna, magnitudo differ-

C A P. III.

De secunda figura.

ECVND A figura sic describenda est. † * * secunda.

In hac secunda figura sunt octo columnæ, quæ denominatur à primis literis, in qualibet enim cellula primæ columnæ prima litera est B. in secunda verò columnæ prima litera est C. & ita deinceps. Nulla autem columnæ est, quæ sumat initium à litera K. propter quod omnes modi, quibus hęc litera cum alijs cōngi potest, in columnis iam positis continentur.

3 In prima columnæ sunt 44. cellulæ, in secunda 35. in tertia 27. in quarta 20. in quinta 14. in sexta 9. in septima 5. in octaua 2. Itaque omnes cellulæ figuræ sunt 56. minuitur autem semper numerus cellularum in sequentibus columnis ob eamdem rationem, ob quam minuebantur in prima figura, idest ne earundem literarum coniunctio sēpiùs repetatur: verbi gratia in secunda columnæ non ponitur cellula C B D: quia esset eadem cum primæ columnæ cellula B C D.

4 In cellulis huius figuræ interdum eadē litera repetitur, veluti B B C. & B C C. tumque intelligendū est ideo literam repeti, quia semel sumitur ex prima columnæ alphabeti, & semel ex secunda columnæ; nunquam verò eadem litera ponitur ter in eadem cellula: quia columnæ principiorum, seu terminorum sunt tantum duæ.

5 Ex qualibet cellula multæ propositiones, & multi syllogismi oriuntur. 1. quia quilibet litera sumitur vel ex

prima,

prima, vel ex secunda columnna alphabeti: vnde oriuntur quatuor modi in quauis c^ellula; aut enim omnes liter^e sumuntur ex prima columnna alphabeti, aut omnes ex secunda, aut è contrario vna ex prima, & duæ ex secunda. Hi duo postremi modi subdiuiduntur in tres: quia litera illa, quæ sola siue ex prima, siue ex secunda alphabeti columna sumitur, vel est in ea cellula ordine prima, vel secunda; vel tertia: Hæc ita obtinent in ijs cellulis, quæ habent tres diuersas literas, veluti B C D. Ceterum vbi vna litera repetitur, vt B BC, duo tantum sunt modi: quia litera illa, quæ est singularis, vt C. in dicta cellula BBC, vel sumitur ex prima columnna alphabeti, vel ex secunda. In summa cum tres sunt liter^e, quælibet accipitur vel ex prima columnna alphabeti, vel ex secunda, id est vel significat terminum absolutum, vel relatum. 2. quia quælibet litera etiam in eadem alphabeti columnâ, significat multos terminos, vt B. bonitatem, bonum, bonificans, bonificatum, &c. 3. quia primus terminus secundo, & secundus tertio, & primus tertio vel subijoitur, vel attribuitur. Exempli gratia, cellula BCD continet has propositiones, Bonitas magna durat, Bene sentientes differunt ab ijs, qui contra sentiunt, Concordia bonorum eos conseruat, seu durare facit. Denique quotcunque modis termini literis significati coniungi possunt, tot sunt propositiones.

6. Itidem per hos tres terminos possunt fieri varijs syllogismi; veluti ex cellula BCD sic argui potest.

Si magnitudo bonitatis sit æterna, erit infinita:

Atqui in Deo magnitudo bonitatis est æterna:

Ergo est infinita.

Item ex cellula BBC.

Quicquid est bono contrarium, est malum:

Atqui discordia est bono contraria: Ergo est mala.

LIBER

LIBER TERTIVS.

QUI EST DE VSV, ET UTILITATE HVIVS ARTIS.

C A P . P R I M V M .

De utilitate Alphabeti.



UTILITAS Alphabeti est multiplex:

1. suppeditat magnam copiam terminorum generalium, tam absolutorum, quam relatorum, ut lib. I. cap. 2. exposui. Vnde cuilibet rei propositæ possumus multa attributa adiungere, quæ ad exornandam & amplificandam orationem valent. Ut ex prima columna, Deus est optimus, maximus, æternus, omnipotens, sapientissimus, mundum magis diligens quam ab eo diligatur, virtutibus omnibus modo quodam eminenti, & ineffabili prædictus, est ipsa veritas, in omnia secula glorificandus. Deinde ex secunda columna, differt ab omnibus alijs rebus, constat tribus personis inter se concordibus, contrarius est improbis, & omnia mala auersatur, principium est & finis rerum omnium, & rebus omnibus sine comparatione maior, nulli nisi sibi ipsi æqualis. 2. omnes quæstiones suggerit, quæ de quavis re proponi possunt: vnde possumus de quacunque re per has quæstiones differere: veluti de ieunio, estne ieunium manifestum est ieunium esse, quandoquidem possumus abstinere à cibis, nec ieunium unquam præciperetur, nec in sacris literis commendaretur, nisi esset possibile. Quid est ieunium, vel quid est ieunare? abstinere aliquandiu à cibo & potu,

D

vt

vt animus corporeis impedimentis solutus, officio suo liberius fungi possit. Vnde est jejunium? ex iure diuino. Cuius est? jejunium externum est cibi & potus: internum vero est carnalium operationum. Quare jejunamus? vt carnis affectus compescamus. Quantum est jejunium? aliud brevius, vt cum Saul Phylistæos persequens, jejuniū indixit usque ad vesperam: aliud prolixius, vt cum Christus & Moyses & jejunarunt quadraginta dies, & quadraginta noctes. Quale est? bonum est, si bene fiat. Quando jejunandum? publice, cū Ecclesia præcipit: priuatim autem quisque jejunare debet, cum animaduertit se carnis stimulis pungi, & jejunio egere. Vbi jejunandum? Non in publico, sed in abdito loco. Quomodo jejunandum? occulte potius quam palam, vt Christus præcipit, & abstinentia non solum à ciborum multitudine, sed etiam à cibis laudioribus, & (quod plus est) à peccatis. 3. Hoc alphabetum valet ad memoriam: facile enim omnes terminos huius alphabeti possumus memoriae mandare: ex his vero, tamquam ex locis quibusdam communibus, omnia dicenda in promptu erunt. 4. est fundamentum primæ & secundæ figuræ.

C A P. I I.

De utilitate prima figuræ.

HAEC figura, 1. suppeditat multa attributa composita: veluti BC, magna bonitas, magnitudo bona, differentia concors, concordia differens, magnitudo differens, differentia magna; magnitudo concordans, concordia magna. 2. multas propositiones suggerit: quælibet enim cellula continet multis propositiones. Exempli causa in

a in cellula. BC insunt hæ propositiones, bonitas est magna, bonitas concordat, magnitudo est bona, concordia est bona, magnitudo differt: differentia est magna; & multæ aliæ. Harum propositionum utilitas magis apparebit, si certis subiectis accommodentur: sunt enim maximè generales, & pluribus rebus possunt aptari: veluti bonitas Dei est magna, bonitas hominis est exigua, bonitas Dei est æterna, quia Deus est æternus, & immutabilis, bonitas hominis non diù durat, quia septies in die cadit iustus: magnitudo virtutis semper est bona, magnitudo verò penitentiae interdum est mala. Concordia bonorum est bona, Concordia improborum est mala. 3. valet ad copiam, ut possimus de quacunque re prolixam & doctam orationem habere. Exempli causa, de iejunio sermo haberi potest hunc in modum: iejunium est bonum, si benè fiat: sed non est res magna abstinere à cibis, nisi simul abstineatur à peccatis. Tandiù iejunandum est, quandiù naturæ humanæ imbecillitas fert; ne quis seipsum interimat, si exéplo Christi, & Moysis per quadraginta dies, & quadraginta noctes à cibo & potu abstinere velit. Sapientes viri iejunare soliti sunt, vt carnis concupiscentiam coerceat, & facilius virtutibus Christianis vacare possint. Verum igitur iejunium est hoc, non si quis gloriæ causa, & vt hominibus admirationi sit, iejunet: tantum enim abest, vt hinc gloriam captare debeamus, vt Dominus iubeat eum, qui iejunat, caput suum vngere & faciem suam lauare, ne hominibus iejunare videatur. Magna est igitur differentia inter iejunium Sanctorum, & iejunium hypocitarum. Iejunium homines à bestijs seiungit, quæ impetu quodam ad cibum feruntur, nec ab eo nisi saturatae abstinent. Cibis igitur saginentur homines carnales, & brutis similes: nos spreto corporali cibo, Angelis Dei

assimilemur, & rerum diuinarum contemplationi vacemus, hoc modo aduersarios nostros perpetuos, carnem (inquam) mundum, & Satanam fugabimus, & de eis victoriam reportabimus: neque enim sine causa Christus ait hoc genus dœmoniorum non ejici, nisi ieunio, & oratione. Ieiunij origo antiquissima mihi videtur; quid enim cum Deus primos parentes ex arbore quadam paradisi vesci vetus, nonne ieinium quoddam indixit? Sicut igitur ieunij illius contemptus primos parentes eiecit ex paradiſo, ita ieunij obseruatio ad hoc valebit, ut in sedes Beatorum facilius recipiamur, quippe quod est medium quoddam, nos cum Deo & Angelis coniungens. Enīs ieunij est, ut mens à crapulæ impedimentis libera; commodiū officio suo fungi, & Deum contemplari possit. Quis igitur ieinium contemnere audet, cum nos vulgaribus maiores, Sanctis æquales, Angelis paulò minores reddat?

G A P. I I I.

De utilitate secundæ figuræ.

E C V N D A figura suggerit multas propositiones cōpositas: veluti BCD, magna bonitas est durabilis, exigua bonitas non diū durat. CFK, Magna sapientiam magna gloria cōsequitur, EFG. initium sapientiæ est timor Dñi.

2 Præ terea hinc habetur magna copia syllogismorum de quo quis problemate. Exempli causa, mundum non esse æternum probatur multis modis: quorum aliquot exempla ex Raymundo, sed dilucidiūs proposita subijciā. **Ex cellula BBC,** sic probatur mundum non esse æternum

I. per

per bonitatem, differentiam; & magnitudinem. Si mū-
s est æternus, due sunt bonitates æternæ, altera Dei al-
ia mundi: sed hoc est falsum, & impossible: mundus i-
ur non est æternus, Consequentia maioris manifesta
Consequens esse impossible probatur: quia illæ duæ
bonitates per magnitudinem æternam magnificantur in
nitum, & per differentiam differunt, ita ut vna sit mala
mundum quid, quod est impossible, & implicat contra-
ditionem; quia quod est infinitè bonum, non potest esse
illum secundum quid. 2 per bonitatem, differentiam,
concordantiam: Si mundus est æternus, differentia bo-
natis diuinæ, & bonitatis mundi æterna est: numquam
tut erit concordantia, quod est absurdum. Eadem
inclusio probari potest ex cellula BCD. 1. per bonita-
m, magnitudinem, & durationem: Si mundus esset æ-
ternus, bonitas eius esset ratio, propter quam ab æterno
produceret bonum æternum, & magnitudo illam bonita-
m ab æterno, & in æternum magnificaret, & æternitas
am ab æterno durare ficeret: proinde nullum esset ma-
m: quod est contra experientiam. 2. per bonitatem,
agnitudinem, & contrarietatem: si mundus est æternus,
sit bona, & magna contrarictas æterna inter substantiale,
substantiale; inter accidentale, & accidentale; inter sub-
stantiale, & accidentale; quod est impossible; quia contra-
j fines non possunt esse boni cum magnitudine æterna.
. per bonitatē, durationē, & cōcordiā: Si mūdus est eter-
nus, eternitas Dei, & æternitas mundi benè concordant:
quod est impossible, quia eternitas mundi nō minùs ma-
tiam, quam bonitatem continet: in Deo autem est sola
eternitas. 4. per bonitatem, concordiam, & contrarietatem:
Si mundus est æternus, eius bonitas est æterna cum eterna
concordia, & æterna contrarietate: quod est impossi-
bile.

bile. 5. per differentiam, concordantiam, & contrarietatem. Si mundus est æternus, eius differentiæ, concordantiæ, & contrarietates sunt æternæ : & per concordantiam Deus est causa mundi; & per differentiam, & contrarietatem non est causa mundi: quod est contradictionis, & impossibile. Similiter per differentiam, & concordiam, mundus constat ex partibus primitiuis, ad aliquem finem etenim ordinatis: & per differentiam, & contrarietatem non constat ex eiusmodi partibus. 6. per magnitudinem, durationem, & differentiam : Si mundus est æternus, magna est differentia Dei; & ratio huius differentiæ est essentia ipsius, quæ ponit æternitatem distinctam inter sensibile & intelligibile: quod est impossibile : quia sensibilia sunt ortui & interitui obnoxia. Raymundus addit septimum argumentum à magnitudine, differentia, & contrarietate & octauum argumentum à duratione, differentia, & concordantia: quæ propter nimiam obscuritatem prætermisita esse duxi.

3. Notandum est, Raymundi sententiam esse, ut de quo quis problemate ex qualibet cellula huius figuræ promantur multa argumenta, id est ex ijs cellulis, in quibus una litera repetitur, sumantur duo argumenta, ex ijs vero, quæ continent tres literas distinctas, accipiantur duo argumenta; quia tot modis literarum acceptio potest variari, ut supra docui; sed quia hoc non semper fieri commodè potest, mihi magis placet, ut cellulæ percurrentur & inde ea sola argumenta sumantur, quæ commodè sum possunt: idcirco in superiori axiomate duo Lulliana argumenta prætermisi.

4. Rursus notandum est, Raymundum ex hac secunda figura sumere omnes terminos pro medijs syllogismorum; quia termini extermi continentur in ipso problema,

te, vt

ut in problemate, ytrum mundus sit æternus, minus **extremum** est mundus: maius **extremum** est æternus: quæsum igitur est medium, quo probetur mundum esse, non esse æternum. Hoc medium coniunctum ex tri- terminis suggerit figura secunda. Ceterum si quis bus tantum terminis vti velit, primam figuram adhibe debet: sin autem uno termino concludere velit, cō- re debet ad alphabetum, vt apertius sequenti capite rabo.

C A P. I V.

De utilitate totius artis.

N summa hæc ars ad tria utilis est. 1. ad sermonem de quacunque re instituendum, & orationem amplificandā. 2. ad quæstiones inueniendas. 3. ad quæstiones dissoluendas, id est ad conclusiones probandas.

Sermonis instituendi, & orationis amplificandæ iusta obseruentur hæc præcepta. 1. Adhibetur prima, secunda alphabeti columnæ: præsertim prima, quæ continent terminos absolutos, vt sup. lib. 2. c. 1. ax. 1. ex alphabeto dicebamus (exempli causa) Deum esse optimum, maximum, &c. 2. Commodius mihi videtur adhibere secundam columnam non separatam per se, sed ita, ut cellulæ secundæ columnæ aptentur cellulis prime coruscæ. verbi gratia, cum agis de bonitate Dei, non tandem dicas Deum esse bonum, sed etiam explica differentiam bonitatis diuinæ ab aliarum rerum bonitate; itidem considera concordantiam, contrarietatem, maiorita-

tem,

tem,&c.vt puta,bonitas Dei lōgē,differt,& infinites mai
or est, quām aliarum rerum bonitates . Immò quicquid
præter Deum vocatur bonum, si cum Deo cōferatur,inna
ium dici debet: etenim Deus nō solūm est auctor & fons
omnium bonorum, sed & etiam est ipsa bonitas. 3. Recē
seātur species,& coniugata; veluti non solam dicatur, De
us est bonu ,sed etiam clemen ,misericors, &c. bonitatē
suam omnibus rebus impertit, alijs magis, alijs minus: fa
cit enim,vt sol oriatur super bonos,& malos; & pluit supe
iustos,& iniustos.4. Ex bonorum auctorum lectione colli
gantur rerum epitheta,& attributa, ea que disponantur se
cundum ordinem alphabeti Lulliani, vt sit promptuarium
quoddam & repertorium , & vt singula , quæ aliquando
proponentur, auctoritatibus confirmari possint. Exempli
causa de Deo constituantur tot capita , quot sunt cellula
in alphabeto: deinde ex sacri literis,& ex alijs auctorita
tibus excerpta referantur ad sua capita, vt in exemplo se
quenti.

B Bonitas .

Solus Deus est bonus, Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18.

C Magnitudo .

**Deus est unus, Deut. 6. Malach. 2. & 1. ad Cor. 8. & ad
Ephes. 4. & c. Mar. 26. Deus est magnus. 2. Paralip:ca. 2.
& Iob. 37. Deus est magnificus. Exod. 15. Deut. 32. De
us est magnificatus. Exod. 15. & 2. Sam. 7.**

D Duratio .

**Deus est æternus : Esther. 4. Deus est immutabilis.
Num. 32.**

E Potesas .

**Deus est omnipotens : Exod. 6. & 15. & Esther. 13.
Deus vitæ, & mortis potstatem habet. Sapient. 16.**

F Sa-

Deus omnia scit, & arcana quoque cordis nouit. Eccles. 9. Psalmo 43. 93. 138. Iob. 34. Ierem. 23. Esa. 29. Matth. 6. Luc. 8. & 1. ad Corinth. 4. Sapientiae eius non est numerus. Psalm. 146.

G Appetitus.

Deus diligit iustos. Psalm. 141. Diligit eos, à quibus diligitur. Proverb. 8. Diligit suos. Ioa. 13. Dilexit Iacob, et odio habuit Esau. Mala. 1. & ad Rom. 9.

H Virtus.

Deus est fidelis, iustus, & rectus. Deut. 32. Iob. 3.

I Veritas.

Deus est verax. Exod. 34. Num. 23. veritatem custodit. Psalm. 145.

K Gloria.

Deus est laudabilis. Exod. 15. Deus est gloriosus. Matth. 6. Luc. 2.

Idem obseruandum in secunda columnā, ut hæc propositio, Non est similis Deo. Exod. 15. & 2. Sam. 7. & 1. Paralip. 17. referri debet ad B-differentiam: hæc verò propositiones: Deus dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum. Psalm. 33. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum, Prou. 21. referantur ad D. contrarietatem. Hæc autem propositio, Magnus est Deus supra omnes deos, referatur ad H, maioritatem. Præter hæc adiungi alia possunt ex tertia colūna alphabeti, idest ex quæstionibus. Exempli causa ad quæstionem qnid faciat, referantur hæc propositiones, Deus aufert iniquitatem, & scelera, & peccata. Exod. 34. Item fecit cœlum, & terram, & cætera omnia. Gen. 1. Esther. 13. Item, opus hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituere eis. Iob. 34. Item facit mirabilia,

E Exod.

Exo. 15. Item, facit iudicium, illuminat cæcos, &c. Psalm. 145. Ad quæstionem verò ubi referantur sequentes propositiones, Ipse est Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum. Ios. 2. Propè est inuocantibus eum Psalm. 145. Cœlum, & terram implet. Ierem. 13. Ad quæstionem autem quomodo facit, hæc propositio respicit, Ipse dixit, & omnia facta sunt. Gen. 1. & Psal. 31.

3. De inueniendis quæstionibus vnum est præceptum, ut obseruetur ordo quætionum; prout in alphabeto Lulliano recensentur, hoc excepto, quod quæstio cuius, quia relationem quandam significat, rectius examinabitur post quæstionem quale. Nos in arte eam coniunximus cum quæstione vnde, propter auctoritatem Raymundi, qui virtrumque significauit uno verbo de quo. Sed quamvis in arte noluerrim Raymundi ordinem mutare, tamen in præxi & usu artis, hæc mutatio necessaria est.

4. Qui syllogismum querit, nihil aliud querit, quam medium terminum, quoniam in omni syllogismo sunt tantum tres termini, videlicet duo extremi, qui in problemate, & cōclusione continentur, & medius terminus, qui ad conclusionem probandam assumitur: quo circa idem est querere medium, querere propositiones, & querere syllogismū: & qui mediū habet, propositiones, & syllogismū habet. Medius autē terminus aut est simplex, aut compositus ex duobus, vel tribus terminis. Non addo plures quam tres terminos, ne res abeat in infinitum, aut huius artis usus difficilior reddatur. Simplex terminus accipi debet ex alphabeto: duplex collendus est ex prima figura: triplex accipiendus est ex tertia figura: verbi gratia si queratur an intellectus humanus sit immortalis, 1. expende terminos alphabeti, & vide an aliquis ex ijs terminis possit accipi pro medio ad probādam intellectus immorta-

morta-

mortalitatem, ac primum perpende terminos primæ columnæ, deinde terminos secundæ columnæ, post hos, perire cellulas primæ figuræ, tandem examina cellulas secundæ figuræ, hac ratione inuenies permulta argumenta, quibus probabis animi immortalitatem. Subijciam aliquot exempla, quò res illustrior euadat. Primò ex prima columna alphabeti per cellulam D, idest per durationem, probatur intellectum esse immortalem, quia interito corpore remanet. Et per cellulam E, idest potestatē, quia potest operari sine corpore, consequenter perempto corpore consistit. Hoc argumentum est Aristotelis lib. 1. & lib. 3. de anima: Et per cellulam F, idest sapientiam, quia in seipsum reflectitur, & seipsum cognoscit. 2. ex secunda columna per cellulam B, idest differentiā, quia differt ab animabus brutorum, quæ sunt mortales: Et per cellulam E, idest principium: quia intellectus humanus est principium sui motus, & à seipso mouetur. Hoc argumentum est Platonis, & M. Tullij, qui ex Platone desumpsit. Et per cellulam H, idest maioritatem; quia maior est substantia intellectus, quam animalium irrationalium. 3. ex prima figura, vt per cellulam DF idest durationem, & sapientiam, quia intellectus cognoscit res æternas: Et per cellulam DG, idest durationem, & appetitum, quia sua natura appetit immortalitatem: naturalis autem appetitus non potest esse inanis, cùm natura nihil frustra faciat. 4. Ex secunda figura per cellulam CDF, idest magnitudinem, durationem, & cognitionem: quia intellectus tantiū durat, quandiu cognoscit, etiam sine corpore, quia non vtitur corporeo organo, vt Aristoteles docet in libris de anima: semper igitur durat, etiam sine corpore: Et per cellulam EFG, idest principium, medium, & finem sive cognitionis, quandoquidem non vtitur corpore. Possem

5 Ex dictis duo colligi possunt. 1. totum usum artis consistere in terminis & quæstionibus alphabeti: Primam autem, & secundam figuram ideo tatum adhiberi, ut possit aliquis, si velit, ordine expendere omnes modos, quibus duo, vel tres termini alphabeti coiungi possunt. Verbi gratia, cum quæris, an intellectus sit immortalis, percurre primo terminos singulos per se: Sed si uis nullum duos, vel tres terminos coniungendi modum prætermittere, eos expende secundum ordinem cellularum, quæ sunt in prima, vel secunda figura. 2. quia Raymundus primo circulo complectitur terminos primæ columnæ alphabeti, id est terminos absolutos: idcirco eum hanc figuram vocare A, & in centro ipsius circuli scribere literam A, ut igitur hanc literam in hunc usum reseruaret, in literis columnarum alphabeti sumpsit initium à litera B. ut notaui lib. 1. cap. 2. §. 4.

LIBER QVARTVS. QVI EST DE NARRATIONE EMENDATIONVM.



RTIS Lullianæ veris præceptis, eiusque usu dilucidè demonstrato, superest ut ea proponam, quæ in Lullij scriptis animaduersione, & correctione digna iudicauit, ne videar temere quædam innouasse, & Lullij auctoritatem contempsisse.

Note

*z. Note in primam artis Lullianæ partem,
quæ est de alphabeto.*

Alphabetum nouem literas, & earum significaciones continet: quælibet autem litera Lullio sex significat: nos verò tres quidem priores significaciones, que sunt generales, retinuimus: sed tres posteriores, ut potè ab hac arte alienas, deleuimus: Nam quarta est physica, & metaphysica: quinta, & sexta sunt ethicæ.

Præterea apud Lullium non apparet, cur diuersæ significaciones ad vnam, & eandem literam referantur: id verò apparet in nostro diagrammate in columnas distinctas nam in prima columna sunt principia absoluta, in secunda sunt principia relata, in tertia sunt quæstiones: & in qualibet columna, prima litera significat primum principium, seu primam quæstionem, secunda secundam, & ita deinceps. Nostrum igitur alphabetum Lulliano est longè clarius, & commodius.

Ad hæc, Lullius hoc loco terminos simpliciter proponit, & posterius multis interiectis explicat; nos verò terminos propositos statim enarramus, ne diù lector ignoret ea, in quibus versatur. Sic pauciores, & magis perspicuae fiunt partes huius artis.

2. In secundam partem, quæ est de figuris.

Prima figura apud Lullium, qui alphabetum confusè proponit, fortassè necessaria fuit, ut ostenderet principia absoluta sibi iniicem attribui, ut bonitas est magna, magnitudo est bona: sed nobis, qui alphabetum in diagramma retulimus, & in columnas digessimus, omnino,

super fuit, quis enim tradente artis doctore non intelligit hæc sibi inuicem attribui, quamvis in orbem non describantur, nec ductis lineis inter se nestantur?

Similiter secunda figura superuacua est, quia continetur in secunda columnâ alphabeti, qua est longè obscurior; cum hic sint nouem principia in tres classes diuisa, ita ut tria principia in qualibet classe ponantur; hæc classes naturali ordine in dicta columnâ proponuntur: & primo differentia, concordantia, contrarietas: deinde principiū, medium, finis: postremo, maioritas, æqualitas, minoritas. In orbiculari autem figura Lulliana hæc miscentur, & perturbantur: ideoque à Lullio tres trianguli adhibentur, & inter se connectuntur.

In tertia figura nihil muto, sed eam facio primam, reiectis prima, & secunda, tanquam figuris superfluis, & inutilibus, artemque augentibus, & obscurantibus.

Quarta Lullij Figura tribus circulis constat, quorum duo sunt mobiles, ut his circumvolutis inueniantur omnes modi, quibus tres termini inter se connectuntur: quot autem sunt modi, tot sunt cellulæ. Quare utilior, & clarior est doctrina, si cellulæ proponantur, vt nos in secunda nostra figura obseruauimus, quam si cum Lullio circuli gyrentur: quemadmodum utilius, & comodoius est habere panes, quam triticum, & pistrinum ad farinam eliciendam, & panes conficiendos.

3. In tertiam partem, quæ est de definitionibus.

In hac parte Lullius definit principia absoluta, quæ posita sunt in prima alphabeti columnâ: hæc definitiones à nobis commodius traduntur in prima parte, id est in expositione primæ columnæ.



Secunda figura inferenda pag. 23. + *

	1	2	3	4	5	6	7	8
1	b b c	c c d	d d e	e e f	f f g	g g h	h h i	i i k
2	d	e	f	g	h	i	k	i k k
3	e	f	g	h	i	k	h i i	
4	f	g	h	i	k	g h h	k	
5	g	h	i	k	f g g	i	h k k	
6	h	i	k	e f f	h	k		
7	i	k	d e e	g	i	g i i		
8	k	c d d	f	h	k	k		
9	b c c	e	g	g	i	f h h	g k k	
10	d	f	h	k	k	i		
11	e	g	i	e	g g	k		
12	f	h	k	h	i	f i i		
13	g	i	d f f	i	k			
14	h	k	g	k	f k k			
15	i	c e e	h	e h h				
16	k	f	i	i				
17	b d d	g	k	k				
18	e	h	d g g	i i i				
19	f	i	h	k				
20	g	k	i	e k k				
21	h	c f f	k					
22	i	g	d h h					
23	k	h	i					
24	b e e	i	k					
25	f	k	d i i					
26	g	c g g	k					
27	h	h	d k k					
28	i	i						
29	k	k						
30	b f f	c h h						
31	g	i						
32	h	k						
33	i	c i i						
34	k	k						
35	b g g	c k k						
36	h							
37	i							
38	k							
39	b h h							
40	i							
41	k							
42	b i i							
43	k							
44	b k k							

4. In quartam partem, qua est de regulis.

Regularum appellatione Raymundus significat quæsiones positas in tertia alphabeti columnâ, quas quidem i recensuit, hic declarat; nos codem loco proposuimus, & explicauimus, ut a tempore brieviorem, & dilucidiorum redderemus.

5. In quintam partem, qua est de tabula.

Hæc tabula imperfecta est, & longè prolixior aperte poterit in arte magna, nec differt à nostra figura secunda, qua si quis breuitati, & perfectioni studiassim, & omnes terminorum conexiones ad paucas cellulas redde-
mus, sicutq; audiuimus, sicutq; litteras certas speciem, et
litteris non raro auctore variis numeris elutet.

6. In sextam partem de evacuatione tertie figure.

In hac parte auctor nibi noui docet, sed ea repetit, usq; antea de tertia figura docuit à obscuritate; autem causa nouam loquendi rationem adhibet, evacuationem tertiae figure vocans, cùm illius figura termini sibi inuenient attribuuntur, & subjiciuntur, ita ut variæ enunciatio-
es conficiantur.

7. In septimam partem de multiplicatione quartæ figure.

Quemadmodum contra artem, & methodi præcepta, tertiam figuram in secunda parte proposuit, & eius evacuationem in sexta parte tradidit, ita quartam figuram in secunda parte proposuit, & eius multiplicationem in septima.

septima parte declarat. Multiplicatio autem quartæ figuræ nihil aliud est Raymundo, quām ratio colligenda tabulæ ex quarta figura, id est ex circumuolutione circulorum qualitæ figuræ: quapropter quarta figura, tabula & multiplicatio quartæ figuræ unam doctrinam continet, nimirum coniunctionem trium terminorum à nobis in secunda nostra figura propositam.

8. In octauam partem de mixtione principiorum, & regularum.

Mira est huius auctoris tautologia: nam mixtio principiorum, & regularum continetur in tertia figura euacuatione, de qua actum est in sexta parte. Denique euacuare tertiam figuram, haurire propositiones ex tercia figura, miscere literas tertiae figuræ, quibus & principiis regulæ continentur, diuersis verbis eandem rem significant. Intellige principia absolute, quæ sunt in prima columna nostri alphabeti; & relata, quæ sunt in secunda columna eiusdem alphabeti; & quæstiones, quæ in tertiam alphabeti columnam sunt connectæ.

Igitur nonam partem de nouem subiectis.

Hæc pars partim est physica, partim metaphysica; & quædam etiam sumit ex ethicis: quocirea non est pars artis, sed usus; quatenus hæc pars rebus metaphysicis, aut physicis, vel ethicis aptatur, ac similitudine potest alijs scientijs atque artibus accommodari: vt igitur Alphabitus ab Auerroë reprehenditur; quoniam organo logico adiunxit logicam, physici, medici, &c. ita etiam est reprehendendus Lullius, qui in hac generali arte descendit ad ea, quæ

a, quæ physici, metaphysici, & ethici propria sunt,

xo. In decimam partem alphabeti.

Tria applicationum genera tradit auctor. 1. implicitū applicatur explicito; vt hæc quæstio, an sint angeli, applicatur (exempli causa) ad bonitatem, & queritur, an bonum sit esse Angelos. 2. abstractum applicatur concreto, vt bonitas bono, magnitudo magno. 3. applicantur quæstiones ad loca huius artis: vt quia aliæ recipiunt primam figuram, aliæ secundam figuram, aliæ tabulam, &c.

Tota hæc applicationum doctrina est inanis. Prin applicatio nihil aliud est, quam inuentio medij termini, per quem probetur conclusio, vt putâ concludimus esse Angelos, quia bonum est, vt inferuant ecclesiæ, & electis. Sufficiunt igitur, quæ de inueniendis syllogismis docuimus, nec pati debemus, vt Lullius nobis imponat, nouis vocabulis non nouam doctrinam proponens.

Secunda applicatio sufficienter exposita fuit, dum egimus de prima columnâ alphabeti: docuimus enim singulas literas significare principia tā in abstracto, quam in concreto, vt B, bonitatem, & bonum: & vtendum esse vocabulo abstracto, vel concreto, prout res exigit.

Tertia applicatio nihil aliud est, quam expositiō partiū huiusmodi artis: ergo non constituit partem per se, ab illis diuersam, & separatam.

Addit hoc loco centum formas, idest centum definitiones rerum partim logicarum, vt generis & speciei; partim physicarum, vt motus, & loci; partim metaphysicarum, vt entis, & idæ; partim theologicarum, vt orationis, & prædicationis; partim mathematicarum, vt trianguli, & circuli; partim ethicarum, vt honoris; partim di-

uerfarum artium, vt mercaturę, & nauigationis. Hęc omnia sunt ab hac arte aliena, & ad suas facultates redigenda.

II. In undecimam partem de questionibus.

Hęc pars non differt à tertia applicatione. Sepius enim hic auctor eadem diuersis verbis, & diuersis locutionibus docet quasi diuersa.

12 In duodecimam partem de habituatione.

Habituationem vocat, cùm quis perfectè hanc artem didicit, adeo vt non sit leui quadam notitia affectus, sed habitum contraxerit, vt Peripatetici loquuntur. Ad hāc habituationem tria requirit. 1. vt aliquis omnes partes hius artis intelligat, & quamlibet quęstionem ad eam partem referre, & applicare possit, ad quam spectat. 2. vt ad exemplum quęstionum ab auctore definitarum possit alijs quęstiones peregrinas, idest à Lullio prætermissas tractare, ac dissoluere. 3. vt possit quęstiones, & solutiones ad eandem conclusionem multiplicare.

Sed in primis ridiculum est habituationem proponere tanquam partem artis: etenim eadem est ars, cuius habet aliquis leuem, vel perfectam notitiam, ita vt vel sit leuiter affectus, vel habitum contraxerit.

Præterea primum requisitum nihil continet præter repetitionem tertię applicationis, de qua in decima parte dictum fuit. Quod ad secundum requisitum attinet, artis præcepta generalia sunt, quæ tam exemplis à Lullio tractatis, quam alijs similibus aptari debent: atque hoc est omnibus artibus commune.

Tertium

Tertium requisitum , vt multiplicentur quæstiones, & solutiones, vsum artis respicit, quem superiori lib. exposuit.

13 In decimam tertiam partem de modo docendi hanc artem .

Modus artem docendi non est pars artis. Hunc autem modum facile nouit, qui arte perfectè intelligit: vt enim ait Philosophus. 1. metaphys. signum scientis est posse docere,

Quodque parum nouit, nemo docere potest, vt inquit Ouidius. In hac parte dat auctor quatuor puerilia præcepta, non huius artis propria, sed alijs quoque communia. 1. studiosus memoriter teneat partes artis. 2. Magister explicet suis auditoribus contextum, & rationes auctoritatibus præferat. Auditores quoque contextum perlegant, & si de aliqua re dubitent, magistrum consulant. 3. Magister coram scholaribus quæstiones proponat, & recta ratione soluat. 4. Magister scholares exerceat, proponens quæstiones, quas dissoluant, & ab eis exiget rationum multiplicationes .

F I N I S.

*Vidi hunc librum, & censeo typis committi posse ad communem studiosorum utilitatem. Datum Neapoli die 18.
Maij 1631.*

Alexander Russus Canon. Dep.

Imprimatur.

Felix Tamburellus Vic. Gen.

Index Capitum.

Liber primus, qui de Alphabeto inscribitur.

C ap. 1. de arte Lulliana, & eius partibus.	pag. 6.
2. De Alphabeto.	8.
3. De prima columnā alphabeti.	9.
4. De secunda columnā alphabeti.	14.
5. De tertia columnā alphabeti.	18.

Liber secundus, qui est de figuris.

C ap. 1. De figuris.	pag. 20.
2. De prima figura.	21.
3. De secunda figura.	23.

Liber tertius, qui est de usu, & utilitate huius artis.

C ap. 1. De utilitate alphabeti.	pag. 25.
2. De utilitate primae figuræ.	26.
3. De utilitate secundæ figuræ.	28.
4. De utilitate totius artis.	31.

Liber quartus, qui est de ratione emendationum.

1. Notæ in primā artis Lullianæ partē, quæ de alphabeto.	37.
2. In secundam partem, quæ de figuris.	37.
3. In tertiam partem, quæ de definitionibus.	38.
4. In quartam partem, quæ de regulis.	39.
5. In quintam partem, quæ de tabula.	39.
6. In sextam partem de euacuatione tertiae figuræ.	39.
7. In septimā partē de multiplicatione quartæ figuræ.	39.
8. In octauā partē de mixtione principiorū, & regulariū.	40.
9. In nonam partem de nouem subiectis.	40.
10. In decimam partem de applicatione.	41.
11. In undecimam partem de quæstionibus.	42.
12. In duodecimam partem de habituatione.	42.
13. In decimamtertam partem de modo docendi hanc artem.	43.